



wilnie



25921

25921

~~492~~

~~6~~

1.28.63.

A78N239.



Inv. nr. 4113
Tus

w 11/10

A P O L L I N I S

M V S A R V M S E N A T V S

Ad debitas K I M B A R I A N I S meritis
laudes decernendas coactus,

E T

Per illustri Magnifico Domino ,

D . G A B R I E L I
K I M B A R

Thesauri M . D . L . Præfecto, S . R . M .

S E C R E T A R I O .

Anniuersariam D I V I G A B R I E L I S
Tutelaris sui diem feliciter peragenti.

Gratulationis ergo oblatus ,

G E O R G I O K A R A S , S . D . N . Alumno , Artium
Et Philosophiae Magistro , Et in Alma Academia Vilnensi
Sacrae Theologie , Et Sacrorum Canonum
Auditore.

Anno Domini 1655. Die 24. Martij.

Perillustris Magnifice Domine

Nihil mihi debes , sed merito Tuo , Heros inclyte , quod
Parnassicus hic cum Gratulatione Senatus , honori tuo
detur . Merebatur id digna humanitas , & humanitate satis
præcellens dignitas Tua ; quarum una ut merito ; altera ut
sponte ac vltro istud præstarem , iure merito reqnirebant .
Loqui de Te , minus videlicet excultus , sine culpa non po-
tui ; at nec potui sine culpa tacere : Scopum vtrumq; vt ef-
fugerem , unus ipse tacui , integrum verò Olympi Sena-
tum , Tuis in laudibus vocalem feci . Nec dubito quod parem
ille & suæ dignitati , & affectui meo apud Te locum sit habi-
turus . Qui ijs nimirum moribus à Numine sempiterno fa-
ctus es , vt secundum notum hominibus , toties ad homines
expediti Gabrielis , nomen , in omnem equidem satis huma-
nam , at in Musas mansuetiores humanissimam indueris
voluntatem . Hac vniuersam Heliconis Rempub. ad Te ,
Tecum , hodie venientem , vt benignè suscipias , pereruditat
Tua præstabit humanitas , meq; una cum meis , Tuum esse
omnino probabit .

PERILLVSTRIS AC MAGNIFICA
DOMINATIONIS TVÆ



10349

95472

Seruus

Georgius Karas.



ODE NATALIS.

EXurge Clio ; surge bieuerticis
Erex Phæbe montis ; surgite Præsides
Deæ Lyrarum ; feriatos
Ad numerum reuocate cantus.
En Littalanis diues honoribus ,
KIMBARIANI nominis inclytus
Possessor ; & clari suorum
Stemmatis immaculatus hæres.
Faustè benigno sidere lætior
Suo **GABRIEL KIMBAR** agens sacram
Diem Patrono ; vestra poscit ,
Vestra petit resonare plectra.
Quid ? destinatas fortè negabitis
Illi vouere à Numine gratias ?
Quem sanguis , & virtus & ipsa

Littaliæ , Lechiæq; Regna
Longæua semper viuere sæcula
Precantur : amplam non popularibus
Factis resignatura famam
Teutonicas Latiasq; latè
Fusam per auras. Cuius amabiles
Virtutis actus Nubibus inferent
Stellæ coronaturæ , & albo
Sidera circumitura gyro.
Auditis ? vt iam barbita vocibus
Multum sonoris æra personent ?
Vt duplicato hinc inde cantu
Æolias fluitent per oras ?
Tractisque Sacro è flumine Penei
Plectris , remulfere æthera cantibus ,
Magniq; K I M B A R I refusum
Oceanum subiere laudum
Nunc est canendum ; Pierides canunt ;
Quando Supernis clarus in ædibus
Ad Virginem missus triumphat
Angelus ; & meritas nitentis

Cœli

Cœli corollas sumit ab Incolis
Cœlestis aulæ ; quando pari micans
Virtute K I M B A R V S salubres
Lætus agit , sine nube , Soles,
KIMBARE dictis strenue , strenue
KIMBARE factis , Phocidos alueis
Ne temne libari , per omnes
Castalios resonandus amnes.
Obscura nigris nomina Cæsarum
Latent sepulchris : Mens Tibi sed Tua ,
Longæua virtutumq; vita ,
Innumeros numerabit annos.
Agit perennes semper in omnibus
Virtus triumphos . Dedita Numini
Non carpitur Natura fato ;
Nec tenues perit inter umbras.
Obliuioso non Tua puluere
Mergenda fama est ; quam benè Martius
Puluis venustat , quam disertæ
Condecorant refluenta Suadæ

KIMBA.

KIMBARIANÆ Tu memor Indolis
Semper decoris magnus in ausibus

Clarescis ; & nunquam sinistris

Ire sinis Tua facta velis.

Hinc est quod ingens Te pietas , Fides
Sincera , multum & pulchra modestia ,

Zelusq; , virtutisq; cultrix

Religio comitata , cunctas
Laudent per oras ; & placide Tibi
Non vna poscant currere saecula ;

Vt sis potens non vna gestis
Egregijs cumulare saecla.

Hic feriatas cum Cytharis Lyras
Misere Musæ ; ruptaq; singulis

Vocalis argenti fuere

Fila , supertenuesq; nerui.

Sic dum resumpto Fila silentio ,

Musæq; , Phœbusq; , & vada Phocidos

Altè quiescunt : capta primò ,

Metra , ego , mente animoq;
volvo ;

Ma-

Magnumq; dici nomen, inaudiens.
KIMBARIA N V M nomen, amoribus
Et gratijs dignum ; sonoro
Pieridum sonuisse cantu
Gaudens ; citato raptus ab impetu,
Eius saluti plurima sæcula
Precabar ire ; & læta faustos
Sæcula deproperare menses.

VOTVM POETÆ.

PARNASSICO SENATVI PRO CLAVSVLA
Additum.

CLarus illustres rutilat per actus
KIMBAR addictis genitus sub Astris :
Clara, condigno, reuehant amœnos
Altera Phœbos.

Multiplex illi decus, & venustas
Et nitor Cœli, meliorq; Terræ
Humor, & fausto cumulata currant
Sæcula plausu
Candi-

Candidi soles ; Placidæq; Lunæ,
Munifex Æstas ; Similisq; Bruma ;
Ver & Authumnus ; referant per omnes

Gaudia Menses

Viuat in multos benè , sanus annos.

Cœlicis viuat placiturus aulis

Cernat & longam seriem suorum

Ille Nepotum.



L-17
143

BR 309234-10

14217
1143